

DEMONSTRATIO VI.
**Motus fluidi ætherei agitatisimus in poris
 corporum calorem producit.**

Experimenta.

1. Oleum Vitrioli rite paratum & instar aquæ limpidum adjecta debita quantitate glaciei, vel aquæ communis, ita incalescit, ut manibus non teneri possit.

2. Grana duo alkalini Salis manui imposita duabus tantum guttulis aquæ communis aspersis sine periculo propter intensissimum calorem manibus amplius teneri nequeunt.

3. Oleum Vitrioli cum Spiritu Vini rectificatissimo, vel oleo terebinthinæ, nec non Spiritus noster igneus cum eodem Spiritu vehementissimâ ebullitione tantum calorem efficit, ut metus sit diffractionis vitri, quo mixtura continetur.

4. Aqua fortis cum limatura Martis mixta intensissimum facit calorem cum magna spuma & copiosissimorum flavorum fumorum emissionem.

5. Grana tria terræ humidæ nigræ adhuc humidæ, non siccæ, manu detenta tribus guttulis aquæ aspersis vehementem calorem producant.

DEMONSTRATIO VII.

Flamma est motus æthereus vehementissimus, in poris terræ tenuissimæ exsuscitatus.

Experimenta.

1. Solo fortiori attritu chalybis & silicis ignis elicitur, quem testantur scintillulæ, quæ charta exceptæ & per microscop-